QUOMODO ET QUANDO MEDICINAE THEORIA VERA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XI M. MAII A. MDCCCXXI

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS PHIL. AUG DAMEROW

SEDINENSIS POMMERANUS.

OPPONENTIBUS

THEVENY MED. DR.

LIEBER MED. CAND.

SCHULZ MED. STUD.

BEROLINI

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

Multi forsanque maxima pars, eorum qui medicinae Doctoris gradum ambeunt, dissertationis conscribendae initium faciunt eo, ut, quum nova quaedam in medicina experientia omni destituti, proferre neque potuerint, neque ausi sint, benevolos lectores etiam atque etiam implorent ut benigne pauca, quae offerant recipiant. — Cuius sententiae veritate persuasus, atque bene sentiens, eum qui per tres annos et quod excurrit, in medicinae campo immenso id est in studio omnium rerum naturalium versatus fuerit, observationibus quidem nonnullis gaudere posse, sed necessarie experientia medica propria expertem esse, rem e disciplina pathologica aut therapeutica disserendam sibi seligentium, odi et fugio exemplum. Nam pudet me, magnorum virorum excerpendo opera hic et illic, paucas compellere pagellas, et

ita me ipsum doctrinamque meam graviter offendere. — Rem e disciplina naturae mihi non posui, quum propter medicinae permagnas divitias, neque possem neque vellem tantum adhuc navare operam singulae doctrinae parti, ut res digna dissertatione inde exstitisset. —

Itaque suscepi in me laborem difficilem certe, sed etiam, ut mihi videtur, haud indignum.

Primum quum medicinae nostrae statum verum, quum veris multa falsa, permulta incerta dubiosa inesse, intellexissem, quum unos ignorantiam suam libere profitentes, alteros se solem quasi manibus gestare, gloriantes animadvertissem, et animo repetiissem diversarum istarum fallacium theoriarum magnam farraginem, ego acerbo, profundo dolore correptus — obstupui — mox vero redii ad me — cuiusque rei indagare studui causas, assiduitate et anxia quadam cupiditate. Causae, quantum in me, exploratae, quum tirunculo haud displicerent, proposui mihi, detegere, quomodo, et quando, ad veram unicam medicinae Theoriam sit perveniendum. — Quae ex contemplationibus his prodiere, in Dissertatione hac mea libere pro viribus meis, deposui. Hancce ipsam materiem delegi, partim quod in

ea situm est symbolum meum (Glaubensbekenntniss) medicinae, quid de praesenti, quid de futuro suo statu credo; partim quod egomet ipse valde edocear scribendo, quum, quae vage, incongrue, hac de re in animo meo errant, ita ordine qnodam legitimo in una collecta, multo clariora, manifestiora mihi appareant. Libris ad rem mihi positam, pertinentibus, non usus sum, nisi iis, qui praesto mihi erant, quum opus neque scribere neque exscribere voluerim, citatos attuli et luxus, decoris causa et ad confirmandas sententias meas. Quae igitur vere mea quae ab aliis recepta, mea facta sint, quae aliena lector eruditus videbit. Quoscunque vero quibus paucae hae pagellae in manus incidant, etiam atque etiam rogatos volo, ut ad finem usque eas perlegant diligenter, ne de me et de Dissertatione mea, error iis subsit.

Utinam vir vere eruditus et doctus liberum de libello hoc iudicium mecum communicaret, ne erroribus adhaerens affixusque totam vitae meae litterariae partem depravarem, corrumperemque, horridissimum, hercle, quod accidere mihi posset!

Quum in medicina, et praesertim in Pathologia recentiorum multae definitiones ancipites, aequivocae, obscurae, superfluae, quum multa verba certo minime respondeant sensui, quae omnia universae doctrinae, ac praecipue tyronibus, vehementer officiunt, quid verbo „Theoria vera" comprehendo, edicere necesse mihi esse videtur.

Distingui sane debent medicina theoretica, et medicinae Theoria. Medicina theoretica contraria est practicae, qua sanus status servatur, aeger in sanum mutatur, complectitur igitur practica Hygieinen et Therapiam. Theoretica ea est scientia, quae corporis humani status, sanitatem et aegritudinem docet, itaque est Physiologia et Pathologia ut adhuc stant. Theoria medicinae est veritas, necessitas medicinae, scientiam et causas primas de iis, quae agimus continet; Theoria eadem quae litterae (Wissenschaft) medicinae, summa, systema cognitionum altioribus, veris doctrinae causis nitentium Vere theoreticus medicus mihi est, qui universae nostrae naturae essentiam, primas omnium in ea agentium rerum causas effectusque funditus cognoverit perspexeritque. Quibus praemissis, nunc transeo, ad quaes-

tiones „quomodo et quando Medicinae Theoria vera“ solvendas mihi positas.

Non dubito fore, plerosque titulum libelli nostri adspicientes, dicere: Difficillimum, vires meas longe exsuperans esse consilium, proposito huic satisfacere. et quum medica historia manifeste docuerit, omnes Theorias falsas fuisse, audacis, arrogantis, miserationem moventis iuvenis esse, quae summi medicorum viri, praestare non voluissent, conari tantum velle. Itaque exclamantes iterum imploro, ut libellum perlegant, et tum multos false me acusasse, intellecturos spero, eosque mecum sese conciliaturos, qui non, dicant quid habeant, me doceant. Nullam neque volo neque possum, ut ex definitione mea Theoriae satis aperte elucet, dare Theoriam, sed qua par sum assiduitate unicam, ut ad veram Theoriam aliquando adscendamus, viam demonstrare et ostendere studebo.

In historiam medicinae animum dirigentes, videmus, inde ab incunabulis artis medicae ad nostra usque tempora semper médicos exstitisse, qui aetati suae Theoriam, et ita medendi scientiam minime dubiam afferre, audaeter contenderent, sed robore et veritate necessarie carentia, omnia haec Systemata evanuere Et ita praestantissima et acutissima ingenia tot tantisque obumbravere erroribus artem medicam ut Gaubius 1) merito dicat: „Quodsi tristissimas mecum re„puto, quae ex incauto pertinacique hypothesum atque

---

1) Vid. H. D. Gaubii Praef. ad Instit. Path. medic. ex editione Ackermannii p. XVI.

„falsorum dogmatum usu in facienda medicina proflu-„unt, consecutiones, tot sanitates perverso regimine „pessumdatas, tot morbos incongrua medicatione in „longum protractos, tot illatas mortes; nonsine animi „dolore, quandoque dubius haereo, plus emolumenti, „an noxae humano generi medendi scientia afferat. Sed medicina reipublicae similis, in qua perpauci tantum gubernaculum tenent; Alii principibus proxime stantes laudant, vituperant, interdum corrigunt, tertia longe numerosissima pars credit et silet. Haec magna sine ingenio asseclarum caterva universae scientiae plurimum afferunt detrimenti, et ingeniose confictis theorematibus adhaerentes, artem medendi fuco contaminant specioso. Quid vero diutius hac in materie immorer, fusius et saepissime tractata! Vera ad Theoriam via demonstrata, causae, Theorias omnes adhuc existentes falsas esse debere, per se patebunt.

Naturae humanae, universa natura obiecta est, magnam infinitam in nos prae se fert potestatem, continua, mutua multiplex inter nos et illam existit reactio, tam arctissime cum ea mixti sumus, ut vita mutuis his momentis carens ne cogitari quidem possit. Et sicuti, incipiente mutuo hoc commercio individuum pro et per se stat, sic cessante vi illa alterna vita singulorum ruit, et mors adest, aut simulatur. Quibus dictis colligo, viam ad Theoriam veram, nonnisi indagando omnes res naturales, totiusque naturae ad corpus humanum perscrutando, cognoscendoque mutuam veram vim rationemque inveniri — Universum est Organismus, et humana natura illius pars nobilissima. Sicuti igitur in humana natura quae Organismus

pro se existit dignitas, vita propria, existentia organica partium singularium, explorata totius tantum natura cegnosci possunt, et essentia totius non nisi usu atque fine partium singularum detectis comprehendi potest — sic humana natura, pars magni universi Organismi, non vera scietur nisi absoluta et intellecta scientia naturae atque explicata profunda naturae nostrae ac intima vi et ratione in universum. Itaque ad Theoriam non aliter provehendum est nisi studio universae naturae, studio experientiae medicae cum Philosophia iuncto. Neque vero separatim singulae huius Trinitatis parti, opera danda est. Omnes tres intime coniunctas, concretas tractari opus est. Ad theoriam formandam nullum tenet principatum, nullum ceteris postponendum, neglectum unius studium Theoriam impossibilem reddit. Quae si intellexissent omnes medici non falsae Theoriae, sed ne ulla quidem existeret. — Ac nonne apparet manifeste, iam ex antiquissima, quam medici dogmatici secuti sunt Theoria, cuius fundamentum de quatuor elementis opinio, veteres unicam, veram ad Theoriam viam cognovisse.

Nunc duabus praecipue contradictionibus sententiae meae, quomodo ad Theoriam perveniendum sit, oppositis occurrere, easqne mittere conabor.

Primum nempe: inauditum quoddam et incredibile videri unam mentem humanam, si immensum singularium doctrinarum naturae consideremus ambitum, atque videamus, viros praestantissimos singulae summo adhaerentes studio, illam non plane perdiscere, in tota doctrina naturae bene versatam esse posse. — Et hi suo sensu vere dicunt, exceptis quodammodo Hallero,

Boerhaavio, Reilio summis illis maxime venerandis ad mirandisque medicinae heroibus, qui sublimi, giganteo ingenio universitatem rerum amplexam fere tenuere. Opera immortalitatis monumenta! — Tales vero viri, divina ingenii abundantia instructi, ne homo coelum attingat, rarissimae sunt aves. Sicuti enim in natura scala est, a pauperrimis, simplicissimis formationibus ad vitam et animam, sensim sensimque ad animum mentemque, perfectissimo corpore intime iunctam, ad hominem sese extollens; — ita in homine, (propter animum sibi insitum propriam in Systemate naturae obtinere merente classem) innumerae sunt varietates coloresque animi, a minimo animali simili, ad maximum divinum quasi gradum. Itaque modicis tantummodo fruentes animi dotibus medici, simul experientiam, studium naturae, et Philosophiae amplecti nequeunt. De his igitur hic sermo non est, sed de iis, qui animi pulcra ubertate excellentes, flagrantes amore medicinae sublimia naturae suae et medicinae explorare cupiunt. Illi sane, invidia digni, medicinam veritati magis appropinquare valentes, quum supra a me postulata praestare possint, quae, ad refutandam contradictionem iam dictam, exactius exponam.

Nobis, immensum rerum naturalium ambitum spectantibus, partes singulas Botanicen, Zoologiam, Physicen, Chemiam, Anatomiam, Physiologiam, Pathologiam, Therapiam, historiam medicinae, Materiam medicam, Philosophiam cousiderantibus — animus stupet, et vesanum, utique stultissimum esse videtur, medicum de omnibus his rebus peritum esse, velle. Unicae solummodo harum disciplinarum naturae operam na-

vare aeque vituperandum, quum historia medica nobis manifestaverit, et variis de causis in mente humana situm sit, medicum, ex disciplina, cuius amantissimus, experientissimus, Theoriam sibi creare et Physiologiae et Pathologiae, ideoque, quum humana fabrica, non solis Chemicis obtemperet legibus, quum non solus apparatus Galvanicus et Chemicus, quum vita ipsiusque functiones, neque solo cultro anatomico neque sola Philosophia, detegantur — tales Theoriae fallunt et se ipsas, et disciplinam et catervam coecorum istorum, sine iudicio sectatorum, post multos sudores, se tandem rem perspexisse summopere gaudentium. — Quid ita? —

Sicuti in organismo animali, quodcunque organon suam habet functionem, omnes vero partes sua conferunt ad ultimum finem — ut vivat, exsistat individuum per se; ita omnes viri illi fortunati, singulas, diversas inter sese naturae colentes partes, pro viribus conferre deberent ut ad ultimum finem studii naturae — ad Theoriam — sensim sensimque ascenderemus. Eo vero ut perveniamus nullo modo persistendum in cognitione et ipsa exactissima minutissimaque specierum innumerarum, in dies sese augentium, nullo modo quiescendum in formatione et creatione systematum artificialium, etiamsi acutissimorum, non in observationibus et experimentis sine ordine factis ac cumulatis; nam omnia haec, alia ratione praeclara, utilissima, pulcherrima, directe minimum prae se ferunt usum, ut ad Physiologiam veram perfectam, ad Theoriam medicinae, via sternatur. —

Itaque optimus, ut medicina ad altiorem id est Theoriae propiorem tolleretur statum modus mihi esse videtur, quum unusquisque, non in cortice tantum suae disciplinae versatus communia quaedam e singulis explorare studeret, et simplicem veritatem, sine ambitione palam faceret, ne, quod dolendum, una cum corpore intereat, quod elementum, axioma existere potuisset. Certa haec communia singularum historiae naturalis partium medicus verus scire debet, et Behrends, summe venerandus praeceptor in libello suo 1) quo ut verus Hippocraticus multa paucis comprehendit dicit:

„Die unorganische Natur und ihre Gesetze dür„fen dem wohl nicht unbekannt sein, der sich zum „Studium der edleren organischen erheben will." — Praeterea medicus verus animo Philosophia exculto, amplificato incumbat necesse est, quam exactissime, qua potest cupiditate experientiae, ac pulchre dicit Van Swieten 1). „Qui castis veterum observationibus „iungunt recentiorum inventa, videntur habere optima „medicinae fundamenta.

Sic me contendentes nullo modo unum parem esse posse naturae, experientiae medicae, ac philosophiae placasse optans, eorum, qui iudicent unam alteramve partium disciplinae naturae, aut Philosophiam Theoriae inutilem

---

1) Ueber den Unterricht junger Aerzte vor dem Krankenbette. Berlin 1789 bei Maurer.

2) Comment. in Boerh. Aphor. Proleg. §. 3. pag. 6. infra in edit Hildburghaus. 1754.

esse, opinionem, refutare, adhuc restat. Et quamvis necessitudinem studii omnium harum naturae doctrinarum supra manifeste otsenderim, tamen, de singularum dignitate vera et supra modum aucta, de Philosophia, et experientia clinica nonnulla afferam — pauca — Encyclopaediam medicinae non scripturus. Quod ad Physicen, legibus aeternae huius doctrinae universitas rerum obtemperat, sine iis neque dies neque nox, neque ver neque hiems, sine iis nil nisi Chaos horribundum, vastum; vires physicas miramur in summis nubibus, in profundis terrarum; sine luce tenebrae haud penetrandae, sine luce, aere, calore, neque vita, neque mens, neque ars neque litterae! — Quam magna praeclara physicis rebus debent Physiologia, Pathologia, Therapia et quantam haud numerandam, maximi momenti vim exerceret in Theoriam medicinae, absoluta Physiologia Physices! Non erit nobis vera endemicorum, epidemicorum morborum Pathologia, nobis declarare non poterimus causam, aër interdum permultis, diversissimis morbis sigillum quasi commune imprimere, nisi prius caloris, aëris et mechanicam et chemicam naturam, constitutionem aëris medicorum, nisi mutuam alternam vim inter corpus nostrum et aër perspexerimus. Nimis temere igitur mihi videtur sententia Doctoris Most (G. F.) dicta: 1) anno sequenti catarrhum, epidemicum, (Influenzam) rediturum esse. Opinionem hanc Doctoris attuli, quia talis Prognosis nova mihi ac notatu digna videbatur; dignitatem vero ei tribue-

1) Most Influenza Europaea, oder die grösste Krankheitsepidemie der neuern Zeit. Hamburg. 1821.

re nequeo ob superficialem nostram omnium morborum epidemicorum scientiam — sed est „opinio“ miserum istud medium inter scire et nescire. — Haud levi quoque momento sunt aëris mutationes in animum humanum, quae unusquisque ad rem attentus in se ipso observare potest. Qua de re nuperrime elegantem a Gallo eleganti nomine „Serrurier“ 1) legi disputationem. Sine dubio etiam hac parte et Pathologiae et Therapiae morborum animi multa bona speranda. Maximos ex rebus physicis Theoriae oriri posse fructus, non solum recentiores intellexere, sed etiam vetustissima antiquitas: Thali aqua erat το θεῖον Anaximeni aër, Heraclito ignis. Empedocli terra. Et iam antiquissima Theoria, quae in libro de natura humana continetur, quem Hippocrati testimonia veterum multa tribuunt, fundamentum habet antiquam illam Philosophorum de quatuor elementis animalis et humani corporis opinionem 2). — Et nostris temporibus viri bene meriti ab unica, sola, eaque minime perfecta naturae parte omnem spectandam esse salutem credunt, imo ex parte partis doctrinae naturalis, e. g. ex Electricitate, Galvanismo vitam functionesque nobilissimi in regno animali systematis diffinire sese non timent. —

1) Serrurier Bemerkungen und Thatsachen über den Einfluss der Witerung auf unsern psychischen Zustand. in Nasses psychischem Iourn. 1819. 2tes Viertel Iahreshef.

2) Ackermann Instit. hist. medic. Norimbergae MDCCXCII; §. 108.

Plane rem negare velle, contrarium principiis meis supra datis, Electricitatem magnam in nostro quoque corpore prae se ferre dignitatem, concedo, sed nullo modo maximas de huius Theoriae probabilitate mittere possum dubitationes, quum re, solis physicis, et chemicis parente legibus, omni vi vitali organica destituta, mortua massa — metallo — et eademque ipsa terra adhuc ignota, utamur, ad declarandum modum agendi systematis nervosi, fibrae illius tenerrimae, in vivo Organismo vi vitali propria praeditae, principatum in vita animali tenentis, vinculi inter corpus animamque.

Ex unico hoc exemplo satis apparere mihi videtur, quam infinitum detrimentum afferat Analogismus iste, non ex necessariis sed fortuitis colligens causis, erroresque hi difficillime sunt excusandi, nisi lenissime, flagrante veritatis ardore, qui hac ratione facillime sane temperatur.

Haec de usu et abusu rerum physicarum dicta sufficiant. —

Eadem de Chemia sententia mihi esse oportet, quum intimum inter Physicen et Chemiam ostenderint connexum, inventa mira recentissimorum temporum. —

Loquor hic de Chemia in genere, de Chemia quae universitatem rerum naturalium complectitur, et regnum minerale, et vegetabile et animale, quae itaque magnae, e qua natura consistit, trinitatis, pars est, (dico physica, chemica, et animalia.) Quae quum ita sint, stat, neque Theoriam medicinae existere posse, nisi Chemia quoque perfecta, neque illam, nisi indagatis

reliquis naturae disciplinis, quibuscum arctissime cohaeret.

Usum Chemiae ad medicamenta praeparanda, cognoscendaque transeo, ne frustra verba faciam levia. Omnium, quae ad corpus nostrum valent aliquae rerum, stabilita chemica natura, materia medica certis, ad Systema verum ponendum, gauderet fundamentis. Igitur medico practico secundum hodiernum Chemiae statum, hanc divisionem remediorum, Therapia sic dicta rationali nitentem optimam, fertilissimamque duco. Ut in Theoria medicinae, sic in singulis medicinae partibus, e. g. in materie medica physica, chemica, dynamica, tyrannidem obtinuere. Methodum botanicam in materie medica, dubiam fallacemque, Botanicus ipse Gleditsch, methodum Chemicam Stahlius, Professor Chemiae, dixere, et merito, partim propter Chemiae praesertim organicae statum imperfectissimum, partim, quod multa remedia, etiamsi ex simillimis partibus constitutivis composita, medico practico, diversissima sunt, partim quod multa medicamenta specificum quoddam habent, quod nulla adhuc Chemia detexit, et denique prae ceteris, quod medicamenta recepta, in corpore vivo chemicam suam naturam commutant, atque alia fiunt, varia, nobis quidem incognita ratione. Nullum igitur verum materiei medicae adhuc esse potest Systema, quod ditissimum illud ingenium, Reilius 1) contendit dicendo: „Der logische Eintheilungsgrund der Arz-

---

1) Reil Entwurf einer allgemeinen Therapie Halle 1816. Cap. IX; p. 211.

„neien oder ihre Auffassung in ein natürliches System „wird einmal mit der Obiectivirung ihrer Wirkungs- „art zusammenfallen. Eins kann nicht ohne das andre, „beides muss und wird mit einem Schlage gefunden „werden. Daher sind ietzt noch alle Versuche sie in „ein System zu bringen verunglückt." — Externarum rerum in naturam humanam actione chemica, corporisque nostri reactione, ipsiusque chemicis viribus perspectis, tot tantisque medicina minime obnoxia esset tenebris, sed Theoria instaret. Theoria vero e sola Chemia nunquam erit, quod luculenter apparet ex sententia mea supra dicta, quum omnino in genere, quaestionem, quomodo Theoria possibilis tractarem, porro e paucis de Chemia adhuc allatis. — Magnae certe sunt efficacitatis chemicae in hominem vires, sed apparatus chemicus non est. Chemia corporis nostri rudis tantummodo est atque dubia cognitio, et necessarie, quum non nisi mortuas, et plane diversas a vivis partes tractare nobis licuerit. — Atque proprias nostras actiones chemicas ignoramus, verosimile aliter fiunt ac in capitibus et instrumentis (Retorten) chemicorum. Vitae κρειττηρίῳ ut Stahlius dicit, subiectae sunt; praeterea in humana natura, Physica, Chemica, animalia non seiuncta, sed intime ac perfectissime coniuncta sunt, quam ob causam summa opus est Crisi, ne in rebus declarandis erremus. Vere dicit Thomson: 1) „Iedes Lebensphänomen ist nicht als Erfolg einer ein- „zigen Ursache, sondern als Produkt der in einander „gewebten Wirksamkeit unzähliger Kräfte zu betrach-

1) Thomson über Entzündung, übersetzt von Krukenberg; Halle 1820.

„ten. Ansichten, die alles auf einen Grund zurückfüh-
„ren, können, wie sinnreich sie auch sein mögen selten
„richtig sein. Sie verdanken ihren Ursprung dem Geiste
„des Systems, nicht dem sorgfältigen Studium, und der
„treuen Aufzählung der verwickelten Umstände, die zur
„Hervorbringung aller Lebenserscheinungen zusammen
„wirken." Inventa, detecta, existentem doctrinae formam fere ex toto evertentia, chemicam ad Theoriam formandam protulere viam, novosque Sylvios et Willisios vestem quidem temporis ac disciplinae gerentes, eiusdem vero forsanque maioris accusandi erroris, quum horum Systematum historiam pro se habeant. — Ut confirmetur sententia mea, postremo nonnulla ab Ill. Chemico Hermbstädt 1) dicta et notatu digna afferam:
„Wir wissen (daher) noch gar nicht, ob und in wie
„fern die Bestandtheile des thierischen Körpers nach
„dem Tode noch dieselben sind, die sie im Leben
„waren, wir wissen nicht, ob nicht mit dem letzten
„Actus der Lebenskraft, eine neue Wechselwirkung
„ihren Anfang nimmt, und neue Stoffe gebildet wer-
„den, und dieses muss allerdings erst ausgemittelt
„werden, bevor der Pathologe mit Zuversicht, ein
„Urtheil aus chemischen Principien entwickelt wagen
„darf — Damit wäre also iede chemische Ansicht des
„thierischen Organismus, die es wagt bestimmten Stof-
„fen in denselben ihre Rollen zuzutheilen, so lange
„zurükzuweisen, bis wir diese Stoffe, ihr Dasein und

1) V. A. F. Hecker: Die Heilkunst auf ihren Wegen zur Gewissheit etc. 4te Auflage; 1819; §. 94. p. 162.

„ihre Mischung in der belebten thierischen Materie „erst näher kennen.“ —

De Botanice brevis esse possum, quum Phytochemiam, eius utilissimam partem, de Chemia in genere disserens, simul complexus sim. —

Recentissimis temporibus Botanices studium modo rationeque Theoriae medicinae salubriori exerceri coeptum est. Iam supra me ostendisse arbitror, Systema artificiale, distributionem, ordinem specierum etiam subtilissime destinatarum Theoriae futurae perpauca prodesse, quod haec methodus versatur tantummodo in cognoscendis innumeris formis plantarum, illisque ordinandis nominandisque. Et revera, si medicus quidam cunctas in orbe terrarum crescentes plantas sciret, describereque posset, quoad Theoriam (ad quam dicta refero) oleum operamve perdidisset. Imo vero vita plantis propria, quacunque ex parte, causae, leges quibus haec vitae forma addicta sit, locus, quem regnum vegetabile in rerum naturalium ordine obtinet, mutua, alterna vis ratioque inter reliquam naturam, et plantas — Physiologia Botanices vera magis magisque quaeri, explorari debet, sed ita, ut, observationibus experimentisque castis, fundamentis existentibus, et adiuvante philosophico iudicio sensim sensimque plura axiomata communia vera ponantur, quibus nitens disciplina, molestissimam sane, sed cautam ac iustam ad certitudinem viam prosequi potest.

Hac in mente, minime in rerum cortice versante, sed naturam plantae undique perscrutari tendente, Botanice a spectatissimis recentiorum temporum viris, ut nomina Rudolphi, Link, Willdenow, Kieser, docent,

tractata est; et liber nuperrime a Sprengelio editus, etiam solo titulo (Sprengel et Decandolle Grundzüge der wissenschaftlichen Pflanzenkunde etc. 1820.) novam studendi Botanicae profundiorem rationem manifestat; item Compendium Nees ab Esenbeckii, eiusdemque, et C. G. Bisschoffii Chemiae et Rothii Matheseos Professorum liber, titulo: Entwickelung der Pflanzensubstanz, physiologisch, chemisch und mathematisch dargestellt, mit combinatorischen Tafeln der chemischen Pflanzenstoffe und den Gesetzen ihrer Stöchiometrischen Zusammensetzung. Erlangen 1819. 4.

Num vero Stöchiometria satis certa fundamenta chemica habeat, aliis huius rei magis peritis trado, ut iudicent. Plura afferre exempla hic non locus. Quae Schelveri de sexu plantarum sententia, quae Henschelii studia de Sexualitate plantarum progenitura sint, futura docebunt. Notatu dignissima sunt, Goethii 1) hac de re verba.

Quod ad Zoologiam et Mineralogiam quae de Botanices usu ad Theoriam stabiliendam dixi, lectori in memoriam revoco — Mineralogiae, quod magnam rerum naturalium complectitur partem, quod maximi est momenti ad Chemiam, Botanicen, Geologiam, medicum haud ignarum esse laudandum; atque si spectemus theoriam, leges Crystallorum formationis, eorumque ad Physica, ad Chemica rationem, medicus huius disciplinae legibus generalibus veris, carere non posse videtur.

1) V. v. Goethe zur Naturwissenschaft überhaupt besonders zur Morphologie 1ter Band 3tes Heft. 1820. p. 285-293.

Zoologiae studium initio cursus academici negligere, praecipue adiuvantibus pulcherrimo nobis Museo praefectoque tantae humanitatis ac benevolentiae ut Magnif. Lichtenstein, quo duce amor huius doctrinae necessarius est, nefas. — Etiamsi postea systema Zoologiae ex parte obliysceremur, et ipsa animalium nomina, tamen aliter est doctrinam nunquam scivisse, aliter illi quondam operam dedisse, sed multa e memoria perdidisse; sic enim cognitio atque imago disciplinae universalis semper manebit, non dissimilis amico cuius mores, naturam indolesque memoria semper tenebit, quamvis diu separatus multa, quae nobis accidere singula, elapsura sint. — Porro silentio minime est praetereundum, studio Systematis artificialis Zoologiae, inveniendis atque distinguendis signis minutissimis ex una animalis parte depromptis numerosissimis, artem facultatemque observandi valde, etiamsi nobis insciis, excoli, praepararique. Denique Zoologia continet non solum formam animalium externam sed etiam Physiologiam comparativam generalem ab infimis, gelatinosis formationibus, ad animalia, homini proxima

Quae autem Physiologia sine partium internarum cognitione quum esse non possit, ei potius Zoologiae parti adiungenda, quae, quamvis iam tractata a Severino, Blasio, Valentinio, etc. etc. stupendis Cuvieri viribus constantiaque miranda, diligentiaque multorum virorum praeclarorum, tam uberrime increvit, ut suo, pro se ipsa existens disciplina, stet, nomine. —

Zootomia sive Anatomia comparativa, monumentum sane aeternum, mente humana dignum, signum manifestum severioris, amplioris, nostris temporibus studii

naturae, argumentum verum, a nobis intellectum esse, nonnisi diligentissime observata, indagataque animalium natura viam sterni ad perscrutanda inveniendiaque generalia, veram Physiologiam animalium.

Quamvis itaque haec disciplina propter immensum materiei ambitum, historice, nec contemplative adhuc tractari oporteret, nihilominus Germani, 1) ut consuerunt, sed et ipsi Galli, ut Dumeril castam illam imaginem violenter distraxere, distorsere, vanissimis, subtilissimis coniecturis, quae nil veri secum ferunt, nisi quod confirment opinionem, viros acutos, prudenti illa mentis quiete carentes, ob id ipsum saepius prava proferre, et inducere sine iudicio sectatores, de aliis talibus ludibriis inveniendis oleum operamve perdere. Quibus aberrationibus praecipue adnumero superstitiosam istam opinionem, in singulis capitis ossibus, ossa vertebralia velle invenire. Et revera dolet me et ipsi Caro hanc rem placere, viro de Zootomia summe merito, qui in opere suo, non solum cum iudicio collecta et compilata singula, multis novis auxit, sed, quod maximum libri decus, verus Germanus, e singulis ad generalia, physiologica emersus, problema sibi praeceptum, id est ut ipse dicit: 2) „eine Geschichte der Stufenweise sich „vervollkommenden thierischen Oorganisation, in der „Beschreibung des verschiedenen Baues der einzelnen „thierischen Geschöpfe zu geben" quantum adhuc fieri

---

1) V. C. G. Carus Lehrbuch der Zootomie Leipz. 1818; §. 244 seq.

I) V. Carus Zootomie; Vorrede p. V; et §. 7. infra.

potest solvit, et quidem sagacissime in initio et fine singulorum capitum. —

Quam luculentissime modum verum, quo Zootomia tractari debet, eiusque usum ad Physiologiam ostendit a §. 1 - 12, quas saepius animi deliciis perlego, et ad quae me refero. — Haec tantum adiicere mihi liceat, nescium Zootomiae, usum quoad Theoriam praesagire non valere, sed in ipso huic disciplinae studendo, creberrime hic et illic multa obviam se dare, animadvertimus, quae aut prosunt, aut melius indagata, profutura sint et Physiologiae et Pathologiae. — Zootomia docet scalam naturae; ac etiamsi perfecta demum exstitura sit, absoluta Zootomia, tamen veritatis huius rei manifestissima tenemus argumenta. Sic videmus, si a perfectissimis ad inferiora descendamus animalibus sensim sensimque omnia Systemata coalescere quasi ac solvi, in teneram, diffluentem gelatinam, videmus remotissimas alteram ab altera canalis alimentarii partes, os et intestinum rectum, unica apertura iunctas 1) in Infusoriis omnino evanescere, imo etiam videmus, naturam in eo non persistere, sed ipsa singula animalcula, sola vivere haud sinere, quum multa individua intestino communi (Saftgang) iuncta, unici animalis speciem prae se ferant. Eandem cognoscimus evolutionem plus minusve, in singulis animalium partibus, ut in organis circulationis, respirationis, in corde, (quod simul cum hepate cessare videmus,) notatu sane dignum pro Physiologia hepatis, difficilius in partibus genita-

---

2) V. Carus Zootomie §. 433.

libus, in cerebro, sensibus, hic vero luculentissime in organo auditus. Partim igitur hac in causa, partim in Physiologia huius sensus obscurissima, ratio quaerenda diligentiorum saepiorumque huius ipsius partis tractationum, ut a Scarpa, Comparetti, Pohl, ac nuperrime ab E. H. Weber Prof. Lipsiensi, qui, in libro suo (de aure et auditu hominis et animalium Parte I; de aure animalium aquatilium c. X. tab. aen: 1820. (3Rthlr. 12. Gr.) variis vesiculae urinariae cum organo auditus, allatis coniunctionibus, Theoriam huius vesiculae adhuc valentem simul cum nomine tollit — si omnia nova, vera. — Halleri itaque verba: „Anatome brutorum plus boni fecit in Physiologia quam „Anatome corporis humani" maioris hodie quam Halleri temporibus sunt gravitatis, quum ditissime aucta disciplina sinat, hic et illic, perspicere altiorem inter classes animalium connexum, et doceat nos, comparando invicem singularium organorum formam structuramque, ad altiora gradatim sese explicantem, verosimile colligere, quid necessarium, quid minus, quinam singularum, organon quoddam construentium partium usus etc. Zoologiam sanam, medicinam forensem Zootomia carere non posse, patet.

Persuasus, neminem esse posse, qui Anatomiam humanam ad Theoriam formandam multum prodesse neget cnnverto me ad

Philosophiam quae, aut plane neglecta, aut prave applicata magnum medicinae intulit detrimentum. —

Cui salus doctrinae cordi, cum acerbo dolore incendatur necesse est, videns, multos Doctoris medicinae

gradum iuraque adipisci, Universitatibusque terga dare, nullam praelectionem philosophicam audientes. Hac occasione haud inutile foret in memoriam revocare, leges constitutionesque a Friederico II datas, secundum quas 1) tyrones medicinae, priusquam ad medicinae studium accedebant, logicae per triennium studere oportebant, quo exacto, ad medicinae quinque annorum studia transibant - Philosophum esse medicum non necesse est, sed philosophari debet, quicunque litteras sensu altiore affectet. Quomodo enim se habent aut haberent omnes Philosophiae expertes disciplinae! miseram ostenderent formam, sine dubio imperfectissimae permanerent, nisi Philosophiae vinculum aeternum cunctas amplecteretur, iisque imprimeret magnitudinis verum sigillum. Sine ea studium naturae, historiae vastum est Chaos inordinatum, qua re et ipsi immersi, in mortua singula, suo, ut Schleiermacherus dicit, modo quodam philosophandi utuntur, ut cera illa, massae istae cohaereant saltem. — Animus colitur, illustratur hoc studio, eoque solo saepius commovetur sese attollere a singulis ad generalia. — Sine Philosophia aut nulli aut mali certe sumus Critici et miseri, vagi iactamur in mari errorum, et coniecturarum vanarum; qua autem duce tuti quietique in eo versamur, ac pulcherrime dicit Hippocrates: 1);
„Μέγα δε μέρος ἡγεῦμαι της τέχνης εἶναι, τὸ δυνασθαι σκοπεῖν, καὶ περὶ τῶν γεγραμμένων ὀρθῶς. ὁ γαρ γνες, και χρεόμενος τούτοις, οὐκ ἄν μοι δοκέῃ μέγα σφαλλεσθαι ἐν τῇ τέχνῃ."

---

1) V. Ackerm Inst. Hist. med. §. 432.

1) V. Hipp. Epid. 3. Sect. 3. ex T. Glassii Comm. XII. de febrib. ete. ex edit. Baldingeri MDCCLXXI.

Historia medicinae, de cuius gravissimo ad Theoriam momento infra disseram, sine historia Philosophiae quae omnibus Systematibus plus minusve fundamentum, intelligi non potest, quod et Ackermann in Institutionibus suis significavit e. g. in §. 236, ubi dicit: pneumaticorum medicorum placita, assequi non licere, nisi Stoicorum Philosophia penitus percepta. Animo, studio Philosophiae non polito, haud elucebunt magna, profunda in historia medicinae, et tali nil erit nisi quod avaro aurum. Neminem credo fore, qui medicum Psychologiae studere debere negaret. Sicut corpus animaque intime iuncta sunt, ita Physiologia et Psychologia; Psychologia est medicorum et Philosophorum, hic coalescunt quasi medicina et Philosophia, empiria et speculatio. Gravissimas, quas in statum sanum morbosumque corporis nostri exerceat vires, animus, vetustissima antiquitas suspecta est, quod ostendit luculenter τὸ πνε.. Hippocraticorum, ac praecipue sectae medicorum cuius conditor Athenaeus, anima mundi ignis intelligens sapiensque, qui mundum animatum faceret; quo spiritu, cunctas humani corporis partes penetrante, recte constituto, naturam bene consistere, offenso vero morbos nasci putabant; 1) Porro Helmontis Archaeus, Stahlii Theoria medica, ac novissime Schellingii sectatorumque Philosophiae Systema, quod Spiritualismi et Materialismi sustulit atque piavit dissolutionem. Memoratu digna sunt etiam, quae Schiller noster, aevo suo praestantior, solemni

---

1) Ackermann l. c. §. 237.

oridiori dicendi genere hac de re in Dissertatione sua augurali depinxit. 1) Itaque Theoria medicinae im-ossibilis, nisi perfecta Psychologia et Anthropologia, : contra-una aderunt.

Nam Physiologia, Pathologia, Therapia intimum inter rumque (animum et corpus) manifestant connexum mpathiamque, quam perspicacissime. Docent vul-ria exempla, ut vox, risus, lacrimae, dolorem cor-oris, et animi aeque sequentes; rubor pallorque ge-rum ex animi affectibus, pulsus, respiratio ab animi thematibus mutata, docent modice hausti vini ectus ad tollendum animum, immodice ad primendum, calor ruborque faciei in longis me-ationibus; sensus inter quos praecipue oculus, sim-ex (ut Hegel dicit) clara fenestra, per quam hominis imam intuemur, multaque alia. Probant hanc n vires, quas corporis passiones in animum, animi-e in hoc exhibent: Irae furor icterum producit, et idelis medicus Infuso amaro ligni Quassiae, tenerae, nsibili puellae phantasmata dulcissima, poeseos genium fert ac depellit. Atque viri excelsum ingenium, lieris animus pulcherrimus plane deletur sibi et iverso causis in corpore sitis! Assulae parvae in ce-ro, paucillum aquae, ulcera suppressa, vesaniae usae occasionales sunt accusandae; methodus resol-is, aquae medicatae mentem sanam, obstructionibus Systemate Venae Portae turbatam, restituunt. —

) Nasse Zeitschrift für psychisch. Aerzte. Jahrgang 1820. St. 2.

Medicina sic dicta psychica, summum difficillim ascendendum medicinae practicae fastigium, sola ami cissima sui, intime sibi coniuncta Psychologia permult bona spectare potest, imo etiam contenderem, Theo riam medicinae phychicae necessarie collapsuram ess cum Physiologia et corporis et animi perfecta, et i post dei infinitam naturam, summum, quod men humana, finita petere possit, esse videtur. Igitur n dignius medico, quam enixissime veritatem in hac, te nebris obumbrata medicinae parte explorare cuper quamquam bene sciens adhuc eam inveniri no posse; sed contra nulla res tam horrenda, quam hi quiescere, vel adeo vera somniari.

Ego quidem hac occasione data, libere confiteor me a medicina psychica anxia quadam, minime repri menda cupiditate allici vehementissime, et fortuna s illi per vitam totus incumbere mihi liceret, intimi meis optatis responderet! — —

Medicus etiam animum indolesque nationum perspectas habere oportet, quod ita ad veram de statu medicinae apud hunc illumve populum cognitionem pervenit, quod ita necessitatem intelligit, sic nec aliter unamquamque nationem medicinam exercere, et quod ita falsa vitare, propria laudabilia cognoscere, alieni acri iudicio uti, ac sic ab omnibus nationibus discere potest. — Et omnia haec sine Philosophiae, praesertim sine Anthropologiae studio fieret? — Nonne videmus Gallum vanum, nugantem in ipsis instrumentis chirurgicis, quae, supra modum multiplicata compositaque rebus minime necessareis, futilibus, severa Anglorum gravitas ad nimiam reduxit simplicitatem; Ger-

manus ad agendum tardus, omnia perfecta efficere cupiens, diuque deliberans, extrema illa iungendo, ad altiorem gradum rem produxit. — Quis non agnoscit in sic dictis Tisanis, in dulcissimis essentiis tincturisque Gallorum elegantiam et urbanitatem, quis in gravi saepius rudi Anglorum curandi Methodo, Gallorum contrariam naturam? —

Quis nonne in Pinellii tractatione mente captorum Gallum, in Coxii machina rotatoria austerum Anglum?

Propter hanc animi firmitatem, hanc mentem sanam (kalter Verstand) Angli tam veri et casti sunt observatores, ut Sydenhamus, Newton, sidera illa illustria; Galli vero potius sunt callidi, subtiles experimentatores, sed ob animi quandam levitatem, primum saepius, quo experimenta nituntur momentum fallax, ut ostendunt Le Galois et Magendie; item rem funditus explorare aliis, Germanis tradunt. Germanos, communia, profunda semper spectantes, videmus, ceterarum nationum in medicina scientiam grato recipere animo, ac ita stupenda doctrinae opera colligere; facete igitur Robertson eos apellat — „Grosshändler der Gelehrsamkeit“ 1) Videmus Germanos Theorias et ab aliis et ab se ipsis positas cupidissime arripere, constanterque defendere, philosophicis speculationibus nimis in medicina inhaerere, cuius rei testis historia ab Alberto Magno 2) ad recentissima usque tempora.

---

1) V. Carus (Fr. Aug.) Psychologie Leipzig, 1808, Th. 2; p. 146.

2) V. Ackermann lib. c. §. 447.

Eundem quem nationum singulorum habet usum philosophica et animi et morum cognitio — Baglivius ille, a nonnullis restitutor cognominatus medicinae cuius Praxin medicam Hòttonius insignem ingenii florentissimi foetum, Le Clerc opus aureum vocat, de medicorum temperamentorum in curationem morborum haec dicit: 1) „Saepe medicus natura timidus et „melancolicus, vel temperamento praeditus, ut aiunt „frigido et humido, ob naturalem suum animi habitum „abhorret a remediis spirituosis, volatilibus, impetum „facientibus aliisque potentioribus; omniumque mor„borum curationem aggreditur per medicamenta humec„tantia, infrigidantia, pacem humoribus conciliantia, „et reliqua minus activa. Contra qui temperamento „fuit calidus, biliosus, natura impatiens, ferox etc, „posthabitis omnibus refrigerantibus ac levioribus reme„diis, nihil libentius praescribet, quam volatilia spiri„tuosa, alchalia, aromatica, ferrum, ignem, vesicantia „vehementiora, et similia maximi impetus et activita„tis“ — Quamquam haec ingeniose dicta sunt, tamen nimis personat tunc temporis Genius. Sine dubio autem hoc veri inest, phlegmaticos sic dictos, moribusque placidis praeditos minores medicamentorum doses praescribere aegris, et si fieri potest militibus levis armaturae rem aggredi, quam sic dicti Cholerici, qui contra faciunt; hi feliciores sed pauciores illis faciunt observationes, illi Cholerici his magis ingeniosa rapidiora ut ita dicam, scribunt opera; Phlegmatici meliores sunt collectores; haud raro vero utrique nil praestant

---

1) V. Georg. Bagliv. Prax. med. Lib. I. cap. 3; §. 2.

scribendo: alteri quia quieti nimis indulgent, alteri, quia, omnia nova cupide arripientes, amplectentesque, semper inquieti nunquam eo perveniunt, ut uni rei omnibus viribus incumbant. Phlegmatici tardiores, saepius prosperum ad agendum tempus dimittunt; Cholerici velociores nimia festinatione morbi decursum turbant: hi aptiores sunt chronicis, illi acutis morbi. tractandis, — scilicet ceteris paribus. — Contenderem nos iuvenes, tyrones tam vehementer attrahi a morbis acutis, non solum, ob maiorem, qua stipati sunt periculum, sed quod secundum naturam suam, febre forti, rapidiori decursu etc. iuvenili nostrae vitae propriores stant.

Omnia haec secum computans ac sciens temperamentum et mores suos cognoscere, corrigere, superare conabitur. Bene igitur Baglivius paragraphum proxime citatum ita finit „Quam ob rem, nisi attenta me-„ditatione inclinationi illi obviam ire sategerint, et „internos temperamenti motus recta ratione dirigere „noverint, praefatis aliisque erroribus obnoxii erunt „quam maxume.“

Denique studium Philosophiae ideo res omnino necessaria medicis est, ne semper versantes ac sese volutantes in materie et ipsi materies fiant. „Jeder“ dicit Tristram 1), „reitet sein eigenes Steckenpferd. Der Metaphysiker hat allenthalben abstracte und geistige Erscheinungen. Der Physiker möchte keine Wahrheit gelten lassen, als die er sehen oder fühlen kann. Mancher Arzt

1) v. Weickard Philosophischer Arzt 1775; Einleitung

glaubet etwa gar, dass sich die Welt mit Pillen wieder liesse zurecht bringen." — Quis nostrum, Philosophia excultus huic aut illi de sede animae opinioni, sit in loco distincto cerebri, sit in ventriculi cardia, sit in canali alimentario, addictus esse posset? — Italus gloriosus quondam contendit, Germanorum animam, non sicuti reliquorum hominum in capite, sed mulorum instar in dorso esse 1). Sed hic non dico talem Philosophiam, cui ingenii humani abusus esse videtur, suam explorare velle naturam, sed Philosophiam naturalem, quae hoc solo, quod vitam universae naturae sublimem, animo cognoscere studeat, summo apud medicos honore minime indigna est. Quicunque enim ut egomet ipse in cortice tantum huius Philosophiae versatus est, eo saltem adducitur, ut de multis, quibus adhuc fidem habuit, argumentis dubitare incipiat — magnum certe beneficium — quum praestet scire τὸ nescire, quam nescire τὸ nescire. Utinam detrectatores huius Philosophiae perpenderent sapienter necessarium esse, antequam tali de re abiudicarent, sententiis, quibus per longum tempus dulci quiete assueti sunt, ex toto dimissis, tum demum graviter huic Philosophiae studere, nec satis superque habere, quod hic et illic paucas sine consilio collegerint micas!

Philosophia autem naturali sola uti ad stabiliendam medicinae Theoriam falsum omnino ac pravum habeo: sed quum mihi iam videar hancce, ratione habita cum ceteris disciplinis, fusius tractasse, afferam haec tantummodo: propter animum (νοῦς) ipsum, principatum

1) V. Philosoph. Arzt; St. 1; p. 162.

tenentem hac in philosophia, eam, Theoriam medicinae, ut ita dicam practicam fundare, non valere; quod medicis assignatum est, in materiem cum materie agere. Cetera ad probandam sententiam meam argumenta, repetere mihi liceat, a supra dictis, in quibus reliquarum ad formandam Theoriam disciplinarum exposui, necessitatem. Nimis autem acerbe et aspere dicit I. P. Frank: 1) „Iahrhunderte lang haben sich Phi-„losophen und seit Iahrhunderten Chemiker zu Pilo-„ten der Heilkunde aufgeworfen, und niemand ist in „der Geschichte von dieser bewandert, der nicht den „Strand und die Klippen, auf welche ihre nach blos-„sen Hypothesen geleitete Steuerruder iene Kunst zum „Scheitern gebracht haben, bemerkt hätte. Und den-„noch vergeht kein halbes Menschenalter in welchem „nicht das nämliche Schiff vom gleichen Steuermann „zu gleichem Verderben geleitet würde. Fürwahr „die über ihre Grenzen sich wagende Philoso-„phie, kann zu einer etwas noblern Art der „Geisteszerrüttung gerechnet werden! —

A Philosophia saltu magno transilio ad solamen verum medicinae ut adhuc stat, ad experientiam, et quamvis, neglecto hoc studio, ars medendi nulla exsistit, et quamvis ego tirunculus, experientiae expers audacter provocare possim ad opera summe venerandorum omnis aevi praeceptorum, quibus evolvendis (quum illa adhuc magna ex parte novi ex historia medicinae, et ex praeceptis praeceptoris mei Berends,)

1) v. Frank *System der medicinischen Polizei* B. 6; Th. 1; p. 345.

animi quadam voluptate gaudeo — attamen pauca notatu digna, ut mihi quidem esse videntur, afferam.

Verbo „Experientia, intelligo, practica generalia vera, aut ex propriis, vel in aegrotis vel in cadaveribus factis observationibus, aut ex scriptis sic dictorum classicorum, deprompta. — Caeterum re vera difficillimum nec, ut multi credunt facillimum, veras facere observationes, et si Behrends in libro supra laudato dixit.: „Zum Beobachten gehört ausser den Naturgaben, und „einem durch Philosophie aufgehellten und ausgebil-„deten Geiste, auch noch Gelehrsamkeit, Bekanntschaft „mit dem ganzen Umfange der Medicin, allen Hülfs-„mitteln und verwandten Wissenschaften" — paucis sed gravissimis verbis magnae recte observandi difficultates et causae incertitudinis, imo falsitatis multorum experimentorum, institutorum a viris qui, idolis, opinionibus praeconceptis inhaerentes naturam dixtraxere, perturbavere, elucent. — Res sane maior est bonas experiri observationes, quam hypotheses etiamsi acerrimas excogitare, quum nil nisi ingenii acuti foetus sint. Et eidem, hypothesibus divites, multa habent specifica, ἀντι; quibus non ex cistentibus, falso observarunt. Iam physicae, mechanicae, chemicae observationes, cum instrumentis ab ipsis observatoribus inventis, quam cautam, exactam permultarum etiam minutissimarum rerum nonne postulant aestimationem; quanto maioribus minime numerandis obnoxia sunt difficultatibus, experimenta, quae cum organismo vivo, summa hac virium infinitarum, ex parte absconditarum, fiunt. — Experientia hac practica ad Theoriam unquam perveniendum esse negant multi magni observa-

tores, naturam incomprehensibilem esse dicentcs, et omnino scientia ab experientia petita, est, ut ita dicam gradus inferioris: experientia nobis non praebet notionem (Begriff) causae et effectus, necessitas non est in observationibus, ea veras, primas rerum causas haud reperimus, ut Young dicit.

Pauca ista sufficiant, quum multi medici rationales empirici, hanc rem fuse tractaverint et etiam Baglivius 1) ita ut hoc ipso Symbolis illis, effigiem suam ornantibus, et coronantibus vere sit dignus. — Experientia facile iungenda Historia medicinae, quae vitam universam, formationem, evolutionem medicinae inde ab incunabulis amplectitur. — Minime igitur laudandum, ut a multis flocci habeatur. — Amici vitae historiam scire cupidissimi sumus — nec item medicinae optimae sine dubio medicorum amicae! — Nimirum, si nil nisi numerorum, nominum et rerum notitia ac enumeratio, vanus esset splendor, pretii parvi, praesertim traditionis causa utilis. Sed historia medica docet nos vitae fatorumque medicinae cognitionem, momentum est aeternum virorum praeclarorum, heroum illorum, qui ab antiquissimis temporibus vere creavere magna in doctrina nostra, et hisce solis fons est salutis infinitae. — Ostendit nobis menti humanae necessarium esse, vera inveniendi, qua re semper sese manifestans Theoriarum cupido; ostendit, omnes ad Theoriam formandam vias tentatas falsas fuisse, et ita eo adducimur, ut huius rei causas explorare studea-

1) v. Baglivi (Georgii) Opera omnia de Editio septima. Lugduni MDCCX. Prax. med. Cap. I-VII.

mus, ac intelligamus, omnibus ipsis Theoriis causam ruinae inesse, quum fundatores, haud cogitantes, universitate rerum perspecta, tum demum Theoriam existere posse, solis mechanicis, chemicis etiam dubiis legibus, dogmatibus ni falsis, certe quidem inopibus, pauperibus, Theoriam sperandam, arbitrarentur. Probat historica experientia, cunctas has Theorias, quas tempus falsas detexit, prius a multis veras habitas esse; probat, medicinae istos tyrannos, tyrannidem exercentes in plebem medicorum, coecos hos asseclas, nil, aut si quaedam, mala malis adiicientes, immense et generi humano et doctrinae nocuisse, pauca profuisse. — Utinam reformatores, theoretici, haec secum computarent, nec stimularentur ad Theorias novas ponendas ulla alia re, quam salute generis humani, litterarumque — novae istae in Italia, Gallia, Germania, Hungaria Theoriae, epipemice grassari incipientes, non exsisterent.

Ex cognitione totius historiae medicinae apparet luculenter, non omnia, nova prolata, re vera nova esse, multaque a nesciis litteraturae historiaeque sua inventa haberi, quae aetatis prioris; alia nova esse videre propter novam qua utuntur formam. Quamquam vero viri illi, qui rem aliquam iterum quasi detexere, illa, qua primi inventores digni sunt aestimatione, et quamquam bonum, vetera, obsoleta quasi renovari, tamen utile mihi esse videtur, quae vere, quae false nova dicuntur, scire, ne plus debito, recentissimis tribuamus temporibus ac ita spernemus et negligamus studium veterum. Ideo invidia dignum est, tyronem praeceptore gaudere in singulis historiae medicae partibus versatissimo, doctrinaque sua probatissima discipulum

aetatem suam haud supra aestimare docente. Quam exactum et diligentissimum studium historiae materiae medicae supponendum est ei, qui de novo medicaminis cuiuslibet, effectu agit. A venerando Behrends, cui veram quoque in medicina debeo Skepsin, didici, multas quae novae esse dicuntur observationes Hippocratem scivisse. Erasistratus, summus ille vir, qui universam de humoribus veterum doctrinam evertit, primus igitur eius Pathologiae, quae in solidis partibus omne vitae et morborum principium ponit auctor, quamquam nescius Anatomiae et circuli sanguinis, dicit, inflammationem existere, si sanguis haereat condensatus in arteriarum finibus 1) ita loco eodem, quo hodie Systema vasorum capillarium scilicet, habemus. — Videmus recentiores Theorias, priorum elementis niti. Doctrina Methodicorum ex empirica et dogmatica et ex Asclepiadis doctrina composita erat: Pneumatici, Stoicorum Philosophiae originem suam debentes postea Eclectici, Episynthetici dicti, quum ratione altioris de primis morborum originibus contemplationis, propriam efficerent sectam, in reliqua contemplatione dogmaticos, in curatione morborum ex parte Asclepiadem, ex parte Empiricos sequerentur 2) — Galenus vir summus et unicus, et cui sive vasti ingenii acumen (ut Blumenbach 3) dicit) sive immensum doctrinae em-

1) v. Ackermann lib. c. §. 138-139.

2) v. Ack. l. c. §. 204.

3) v. Ackermann l. c. §. 239.

4) v. Blumenbach Introd. in hist. med. litterar. Goettingae 1786; §. 75.

bitum spectes vix alterum universae antiquitatis aequiparare licet, minime Systema, cuius soli tyrannidi per quatuordecim secula paruit, nec transgredi ausa est medicina, condere potuisset, nisi, ut e vita sua elucet, universam ad sua usque tempora scientiam, in se comprehendisset. Iniuste igitur nec iuste ut Hecker 1) dicit, Friedericus Hoffmannus 2) appellat, Galeni medinam, „nominalem, pure scholasticam et Phantasiae tantum filiam," praecipue quum, qualis hodie ordo in tractandis materiis, non multum recedat ab ordine Galeni, quum functionum divisio in naturales (coctionem et sanguificationem), vitales (calorem et vitam), animamales (mentem, imaginationem, memoriam, cerebrum), quum morborum generalior expositio, divisio causarum symptomatum morborum, signa diagnostica, et prognostica dicta, Galenum auctorem habeant 3).

Quantum Galenus scriptis suis, curisque criticis, de omnibus medicinae partibus meritus est! Anatomiam, Physiologiam impense auxit, prae ceteris libris XVII de usu partium; creator est doctrinae de pulsu, temperamentorum Theoriam fundavit, cui si pro elementorum suorum qualitatibus ponamus verba „irritabilitas" et „reactio" multa ad praxin utilia insunt. Calidum Galeni sit aequale magnae irritabilitati; Frigidum parvae irritabilitati; Siccum Galeni sit aequale magnae reactioni (Gegenwirkung,) humidum parvae reactioni. Ita oritur hoc schema:

---

1) v. Hecker (A T) l. c; §. 42; p. 63.

2) v. Fried. Hoffm. Med. rat. System. Tom. I; p. 16.

3) Conf. Ackermann l. c. §. 312-313.

E temperam. calido et humido G. = † irritab. et —
react. temp. sang.
E temperam. frigido et sicco G. = - irritab. et †
react. oritur temp. melanch.
E temperam. calido et sicco G. = † irritab. et †
react. oritur temp. choler.
E temperam. frigido et humido G. = —irritab. et -
react. oritur temp. phlegm.

Galeni itaque merita sunt immortalia, nec humanum est, monstrum illud et scribendo et sciendo propter errores suos, in quos ante XVI et supra saecula inductus erat, obtrectare. Cum ipso autem Galeno omne fere ingenium medicorum interiisse, cumque XIV. Secula praeceptorem agnoscere, non est, quod Galeno opprobremus. Cuius enim rei causa quaerenda mihi esse videtur partim in historia populorum, partim in immensa ista, quae Galenus obtulit materiarum massa, qua secula obstupuere, nec elaborare eam ac concoquere potuerunt, donec validus ille, splendidus, floridus, et (ut Blumenbach adiicit) 1) vagabundus, combibo impudens, iactator Paracelsus veritatem Codicis Galeni negaret, et ita orbem terrarum somno profundo excuteret. — Quis in Theoria Stahlii acerrimi ingenii viri 2) non agnoscit τὸ πνεῦμα et Helmontis Archaeum. Stahlium bene intelligentem prava, minime sufficientia Theoriarum mechanicarum et chemicarum

---

1) v. Blumenb. l. c. §. 169.

2) A. Blumenb. l. c. §. 420.

secundum mores suos, quas Sprengel in historia sua medicinae pragmatica pinxit, rigidas, contumaces extrema peteret necesse erat, et crederem curam ne religiones offenderet perpauca ad Theoriam suam condendam contulisse. — Brunonis Theoria quorum fortuna fataque unumquemque et Theorias dare et sequi detineret, nonne elementa petiit ex nervorum Pathologia Fr. Hoffmanni, atque Cullenii? 1) et Moscati 2) dicit: „Si ad generalia tantum haec Brunoniani Systematis „fundamenta respexeris, multam porro cum antiqua The„misonis et Methodicorum doctrina similitudinem in„venies. Strictum enim et laxum in solidis partibus — „— satis recte accommodari posset sthenicae et asthe„nicae corundem solidorum constitutioni — Caeterum „uterque abditarum in morbis causarum investigatio„nem, naturalium actionum quaestionem, et quidquid „non evidens, aut in utramque partem disputabile re„iecit.“ — Haec ad probandum summum historiae medicinae usum; additis tantummodo, desiderari adhuc historiam medicinae Phisiolophicam quae ostendat usum cuiuscunque Theoriae necessarium in medicina, et verum omnium Systematum connexum, desideratur adhuc, ut brevis sim, historia medica quae doceat necessitatem, medicinam sic nec aliter sensim sensimque evolutam esse. — Summum sane problema historiae medicinae — non solvendum, nisi historia Philosophi-

---

1) Conf. Hecker lib. C. XIII, §. 65 - 68. et XXI; §. 98.

2) Joannis Brunonis elementa medicinae Hildburgh. 1794. c. praefat. Petri Moscati. p. XII. XIII.

ae prius ita elaborata! — Antequam autem quaestionem quomodo Theoria possibilis absolvam, memorare mihi liceat, medicum verum litteris artibusque liberalibus humanioribus cavere non posse; quae quum Phantasiam excolant, et artem observandi subtiliorem et ut ita dicam, magis tractabilem reddant iuvant nos in hominum et praecipue mulierum difficillime explorandis moribus, atque ita magni sunt momenti ad Diagnosin ac Prognosin, et morborum corporis et animi. 1) — Porro medicus mores et consuetudines sicuti singulorum, ita populorum scire decet, quae quum saepius causae accusandae, populum quendam magis his, minus illis subiectum esse morbis et Actiologiae et Therapiae utiles sunt, quod manifeste intellexi ex libro Th. Beddoes de Phthisi pulmonum. — Denique medicus sit morum integritate atque praestantia; nam eo, quod multi medici se ipsos, sua idola, vanitatemque suam maioris existiment, diligentiusque curent quam pulcherrimam doctrinam, medicinam, valde nocent Theoriae praxi generique humano.

Sic immenso scientiarum ad Theoriam formandam ambitu necessario a nobis perspecto, transeo nunc ad alteram quaestionem:

Quando

Theoria medicinae possibilis.

Sine noxa brevis esse possum in solvenda hac quaestione, quum eam e prima dissertationis parte,

---

1) V. Reil u. Kaysler Magz. für die psychische Heilkunde, 1. B. 1. H. p. 43.

facile vereque respondendam esse, aperte elucere mihi videatur. —

Rerum universitas, tota natura, circulus est magnus, sine initio sine fine, omnia mutuam alternam, inter sese connexum habent; medicina est flos et corona omnium disciplinarum naturae; — Theoria medicinae summum est fastigium ultima finis, quo studium medicinae emergi potest; itaque Theoria esse non potest nisi absoluta Physiologia naturae, et Physiologia atque Pathologia humana. Quum vero, ut supra vidimus unaquaeque ad naturam pertinens doctrina minime perfecta nominanda, et quum re vera, ex modesta Plattneri sententia, Physiologia nostra humana potius sit, probabilis de natura humana disputatio, quam, ut recentissimi se gloriantur, doctrina de essentia (Wesen) organismi nostri, et quum causam morborum, complexum ordinemque symptomatum ab experientia maxima tantum ex parte noverimus, sequitur:

1) omnes Theorias, quae unquum exstitere, falsas esse oportere;
2) omnes praesentes, veras minime esse posse;
3) tempus, quo quondam Theoria vera futura, non providendum esse.

Itaque impossibilitas Theoriae sita est in magno doctrinae ambitu, sed quodammodo quoque in medicis ipsis. Hi multifario et maiori et minori modo peccant: multi enim doctrinae nil praestare possunt praxi quasi obruti; alii nimis multa scribunt et dicunt, vera semiveris et falsis mixta; alii, semper ingenii quadam praestantia praediti, Theorias ponunt, vel famae vanitatisque causa, vel ignorantes Theoriam adhuc esse

non posse, vel ardore flagrante veritatis inducti, vel odio prioris Theoriae, aeque prave aliam illi oppositam firmant. Merito igitur exclamat Ant. Fried. Fischer: 1) „Aerzte von hohem Rufe, und wahrhaft (?) glänzender Gelehrsamkeit verbinden sich gleichsam, durch unbeschränktes Aderlassen an den jetzigen Generationen nachzuhohlen, was an den vorhergehenden durch Irrlehren ärztlicher Reformatoren versäumt worden ist: Haftet denn ein Fluch auf der Kunst, dass sie sich nur in Extremen gefallen, nie eine mehr oder weniger scharf begränzte Mitte finden kann.“ — Vesania haec in sanguine mittendo, nonne est ex ruinis Brunonianismi excrescens parasita fatalis? — Theoria Itali Rasorii 2) quae ob enormes medicamentorum doses homines omnes, maleficos capite damnatos, (quibus experimenta, iis Petri Mattioli similia facere liceat,) habere videtur, nonne est, et secundum ipsam formam suam fetus monstruosus Theoriae Brunonis? Et in Galli Broussais, Theoria, (cui millies maior hirudinum numerus sacrificatur, quam Galvanismo ranae illae innocentes,) nonne videmus Gallum, qui mores recentissimos sequens, longe maximam omnium morborum partem — inflammationes — sint tenerri-

---

1) V. A. F. Fischer prüfende Blicke auf den aufgestellten Geist Kreyssi'gs practischer Pathologie; in Rust's Magazin etc. B. 8. Heft 2.

2) Conf. Wagner (Wilh.) Darstellung und Critik der Jtaliänischen Lehre vom Contrastimulus. Berlin 1819; et [illegible]
Heidelb. Jahrbücher etc. 1820; 9tes Heft. Septemb. p. 908. u. aflg.

mae haud evidentes — tamen inflammationes habet? — Sed Parisiis orta, illic, ut forma vestium nova mox obsoleta fiet; exoptandum vero, ne haec Theoria, ut formae vestium Parisiis obsoletae, in Germaniam transferatur. — Summopere verendum, ne, Theoriis istis sanguinis dignitatem primariam nimis magnam existimantibus, ad veterem Pathologiam humoralem, clam recedamus; quam ob rem non inutile Theoriam solidam Brunonis cum fatis suis non plane oblivisci; minime eo, quod eam sequeremur, sed quod partium solidarum Pathologia nititur. Theoriam Hahnemanni (Homoiopathicam) quae dosibus medicamentorum ipsis sine dubio haud nocet, transeo quum ab Harlessio et Heckero (V. Annalen 2, 1, 31.) a Kranzfeldero in Symbolis, ad criticen novae Theoriae, homoiopathicae, dictae, particula prima 1); ac novissime a Pragensi Prof, Bisschoff dignissime de hoc novo Organo iudicatum sit. — Maxime vero dolendum theoreticos hos tam facile discipulos nancisci ut Thessalus Trallianus, impudens homo, gloriosus ut se ipsum ἰατρονίκην diceret, quum professus sit, sex mensium spatio medicinam cuique se traditurum 1).

Sed quum Theoriae nulla adhuc spes studium vera inveniendi omnino omittamusne? — Minime! — Ac

---

1) V. Reil's allgem. Therap. Halle 1816 p. 204.

2) Bisschof (Ign. Rud.) Ansichten über das bisherige Heilverfahren, und über die ersten Grundsatze der homo iopathischen Krankheitslehre 1819; und Hufel. Iourn. etc. B. 49; St. 6.

1) V. Ackerm. l. c. §. 208.

etiamsi Hippocrates dixit, in medicina οὐδὲν καθεστηκὸς τι σόφισμα ponendum esse, quamvis Hallerus: Ins Innere der Natur dringt kein erschaffener Geist; quàmvis Baglivius: origines morborum et causae longe abstrusiores sunt, quam ut humanae mentis acies eo penetrare possit; quamquam Sydenhamus omnino esse fatendum τι θεῖον inesse naturae, sive specificam proprietatem aliquam, qnam nulla unquam contemplatio, a speculatione diducta queat indagare atque in lucem protrahere. — — — Rudis et indocta cognitio nostra in rerum cortice omnis versatur ad τὸ ὅτι sive quod res hoc modo se habeat, fere tantum assurgens, τὸ διότι sive rerum causas nullatenus attingat, etc. nihilominus, qui cognovit sublimia, aeterna doctrinae cui vivit, aeterna ei elementa dare enixissime appetet. Non possum non, finire dissertatiunculam meam verbis Magni Goethe: 1) — „Ich „fühle mich mit nahen und fernen ernsten, thätigen „Forschern glücklich im Einklang. Sie gestehen und „behaupten: man solle ein Unerforschliches voraus„setzen und zugeben, alsdann aber dem Forscher selbst „keine Gränzlinie ziehen. — — Liege sie (d. Welt) „anfang- und endelos vor uns, unbegränzt sei die Fer„ne, undurchdringlich die Nähe; es sei so; aber wie „weit und wie tief der Menschengeist in seine und „ihre Geheimnisse zu dringen vermöchte, werde nie bestimmt noch abgeschlossen.

---

2) V. v. Goethe zur Naturwissenschaft überhaupt, besonders zur Morphologie. Ersten Bands 3tes Heft p. 303. (Freundlicher Zuruf.)

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Henricus Phil. Aug. Damerow, natus Sedinis Pommeraniae capite D. XXVIII, M. Decembr. A. MDCCXCVIII, litterarum elementis a parentibus instructus, post mortem patris, qui Sacris functus erat, Gymnasium, quod Sedinis floret, adii, ibique, excepto tempore quo contra Gallos armatuli ad A. MDCCCXVII versatus sum. D. XVII M. Aprilis eiusdem anni Rectore Magnifico Henrico Friederico Link civibus Universitatis Berolinensis adscriptus, adhuc his interfui Virorum Illustrissimorum Celeberrimorum praecetionibus: psychologiam, dialecticen me docuere Schleiermacher, et anthropologiam et psychologiam historiam philosophiae Hegel; encyclopaediam et entozoologiam Rudolphi, zoologiam Lichtenstein, entomologiam Kluge, botanicen, historiam naturalem generalem Link; physicen disserentes audivi Fischer, per cursum annuum, et Ermann, chemiam Turte; anatomiam et theoreticam, (sic dictam) et practicam me docuerunt Rudolphi et

Knape; zootomiam, physiologiam hausi e praelectionibus Rudolphi, Horckel audivi de philosophia physiologiae per unum semestre, Hecker de semiotice; Link de pharmacologia, Hufeland praelectionibus de institutionibus medicinae practicae interfui; Horn me docuit pathologiam et therapiam specialem, introductionem ad Clinica, et privatissime morbos sic dictos animi, Berends materiam medicam, iuxta principia therapiae generalis, inflammationes, et morbos mulierum, Rust chirurgiam generalem et specialem, atque morbos syphiliticos, Graefe akiurgiam, diaeteticen oculorum et morbos ossium dynamicos, v. Siebold artem obstetriciam et theoreticam et practicam. Knape medicinam forensem. Clinica quibus Rust, Graefe et Neumann praesunt frequentavi, in instituto cui Berends praeest, per tria semestra versatus sum, ac libere et vere confiteor, horas quas, a venerando praeceptore instructus degi, pulcherrimas exoptatissimasque vitae meae academicae fuisse.

THESES.

Quaecunque Theoria medicinae hodie exsistens etiamsi ignota, falsa est habenda.

Nymphomania est morbus animi.
